

hunc arripuit, & una etiam cum eo appensam ranam, & sic ambos devoravit: Et ego etiam qui per vos morior habebo ultorem; Babylon enim & Græcia omnis meam à vobis exigent mortem. Delphi nihilominus in Malitiâ obstinatè perseverantes, ne sic Fabulanti pepercerunt; Ille autem in Apollinis confugit Sacellum, sed & illinc extraxerunt irati, & in præcipitum rursus traxerunt: Æsopus quum abduceretur, dicebat, Audite me Delphi; Lepus, Aquilâ insestante, in Scarabei domicilium confugit, obnixè petens ut ab eo servaretur; Scarabeus autem rogabat Aquilam nè occideret supplicem, obtestando ipsum per maximum Jovem nè despiceret parvitatem suam; Aquila verò irata percutiens Scarabeum alà, Loprem raptum est depasta; Scarabeus autem quum Aquila avolavit, tacite sequebatur, ut nidum ejus disceret, & loco invento, ova ejus devoluta disruptum; Illa autem gravè existimans quod quis hoc ausus fuisset, in altiore loco nidum suum erexit; Et illic rursus Scarabeus ova rupit, disjecitque; Sed Aquila, prorsus inops Consilii, ascendit ad Jovem (in ejus enim tutela esse dicitur) & in ipsius genibus tertiam fæturam ovorum depositum, Jovi ipsa commendans & supplicans ut custodiret. Sed Scarabeus, pilis è stercore compositis, ascendit, & in sinus Jovis eas demisit; Jupiter exsurgens ut simum excuteret, etiam & ova oblitus disjecit, contrivitque: Sed quum didicisset à Scarabeo, quod hac fecisset ut Aquilam ulcisceretur, non enim in Scarabeum tantum injuriosa fuisset, sed in Jovem ipsum impia, consuluit Aquilæ, ut Scarabeo reconciliaretur: Quum autem Scarabeus consentire recusavit; Jupiter in aliud tempus transposuit Aquilarum partum, quum propter inertium frigoris, Scarabei non apparent. Vos igitur O Viri Delphi, inquit Æsopus, nè despicie hunc Deum ad quem profugi, et si parvum apud vos sortitus est Delubrum,

Magnum etenim capit Ira Jovem, Memoresq; Malorum
Sollicitat Vindicta Deos.—

Delphi verò, parùm curantes quæ Æsopus prædixerat, rectâ ad mortem itidem agebant; Æsopus quum nullâ ratione flecti & inexorabiles prorsus observavit, rursus ait, Viri crudeles & Interfectores, Audite; Agricola quidem in agro consenuit, & quum nunquam ingressus esset in Urbem, precabatur domesticos, ut, ante mortem Urbem saltem videre liceat; Murmurantes illi, junctis asellis, atq; Hero in curru imposito, solum jusserunt, currum agere; Eunti autem Procellis cum turbine aërem occupantibus, & tenebris factis, aselli à viâ aberrantes in quoddam Præcipitum deduxerunt senem; At Ille jam præcipitandus, O Jupiter, inquit, quâ in re Injuriâ te affeci, quod sic iniquè occidor; præsertim neque ab equis generosis, neq; à bonis mulis, sed ab asellis vilissimis. Et ego eodem planè modo nunc doleo, quod non ab honoratis Viris, aut elegantibus, verùm ab inutilibus & pessimis interficior.

Jámque præcipitandus supremam hanc dixit Fabulam; Vir quidem suam perdite amans filiam, in agros Uxorem misit, & filiam solam domi manentem violavit, Illa autem, Pater, scelèste facis, mallem etenim à multis viris dedecore hoc affici, quam à te qui me genuisti: Hoc nunc & in vos, O iniqui Delphi, dico, quod eligerem potius in Scyllam aut Charybdim incidere, aut in Africæ Syrtes, quam per vos injustè & indignè mori; In Patriam vestram Diras mitto, & moriens Deos omnes testor, qui me ulciscentur exauditum, me, nullâ ratione, vel legibus humanis vel divinis, habitâ, injuriosissimam subire mortem. Præcipitârunt autem Delphi Æsopum de Rupe, & mortuus est; sed aderant ultores Dei; Non multò enim post tempore, pestilentia laborantes, ab Oraculo acceperunt expiandam esse Æsopi mortem, quod & fecerunt, & consciî quam injustè eum interimerunt, etiam Cippum in Æsopi Memoriā erexerunt. Primates autem Græci, & Sapientissimi quique, quum quæ in Æsopum patrata fuissent intellexerint, in Delphos profecti, severâ Inquisitione habitâ, & ipsi ultores Æsopi mortis extiterunt.

**Finis Æsopi Vitæ, Græcè à Maximo Plantide conscriptæ, & Versione
Latinâ à multis quibus anteâ abundaverat mendis castigatâ.**